



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**FRANCISCI|| XAVERII EPISTOLA-||RVM LIBRI|| QVATVOR||**

**Francisco <de Javier>**

**Mogvntiæ, 1600**

**VD16 J 197**

Societati Romam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43721**

*Dei fiducia*

vicos ex itinere obiens, baptismo abluam  
 infantes. Tu velim DEVM pro me multū de-  
 precere, idemq; à pueris Christianę discipli-  
 nę alumnis faciendum cures. Hoc ego sept<sup>a</sup>  
 præsidio, facile ea pericula cōtemnam, quib<sup>a</sup>  
 me amici à terrestri itinere deterrent, denū-  
 ciantes per infestam nomini Christiano, mi-  
 hique ipsi maxime regionem esse transeun-  
 dum. Sed narro tibi. Tędet me interdum vi-  
 tæ, ac fatius esse arbitror, pro religione mor-  
 tem oppetere, quàm in tot, tantisque diui-  
 ni numinis contumeliis viuere, cum præfer-  
 tim eas non possim non videre, prohibere  
 non possim. Ego vero istiusmodi res ne vi-  
 derem, aut audirem, in Æthiopiã demigra-  
 rem, atque in fines Præsteiannis, vbi tam e-  
 gregie DEO nauari opera potest aduersan-  
 te nemine. Verum nihil me tam male habet,  
 quàm quod minus acriter obstiterim iis, à  
 quibus scis cœleste numen violari. DEVS il-  
 lis pro summa sua clementia ignoscat velim;  
 eundemque vt tecum maneat, me comite-  
 tur oro, quæsoque. Vale 1 v. Idus Nouembris  
 Manaparo.

*Zelus hono-  
ris diuini.**Societati Romam. Epist. V III.**Gratia & caritas Christi D.N. &c.*

**D**EVUS mihi conscius est, quanto liben-  
 tius vos viderem, quàm hanc vobis tã  
 incertam propter locorum interualla epi-  
 stolam



stolam scriberem. Nec vero, quia coniunctis-  
simorum animorū corpora DEVS pene in-  
finito distraxit spatio, corporum disiunctio  
quicquam de amoris mutui vinculis laxat,  
quibus adstricti sumus. Nam etsi non vna  
versemur, vti solebamus; tamē perpetuo fe-  
re nos inter nos mētis oculis cernimus. Tā-  
ta enim est veræ, germanæq; amicitia vis, vt  
amici absentes adsint, mutuoque aspectu, &  
consuetudine fruantur. Hæc mea sociorum  
omnium tam continua memoria vobis po-  
tius accepta est referēda, quam mihi. Si qui-  
dem vestræ preces, ac sacrificia, quæ pro me  
homine nequam assidue facitis, tātā hanc  
excitant in me vestri memoriam, ac deside-  
rium. Vos inquam, vos carissimi fratres, in a-  
nimo meo vestras imprimitis species. Quod  
si mea vestri memoria tanta est, fateor vestrā  
mei longe esse maiorem. DEVS vobis pro  
vestro merito gratiam referat. Nam ego  
non alia ratione possum vobis satisfacere,  
quam profitendo me vestris meritis satisfa-  
cere nullo modo posse, cū plane animo vi-  
deam, quantum omnibus nostræ Societatis  
hominibus debeam.

In hoc Trauancoridis regno, vbi versor  
(vt aliquid de rebus Indicis scribam, qua-  
rum vos auidissimos esse certe scio) pluri-  
mos DEVS ad Christi filij sui adduxit fidem.  
Mensis quippe vnus spatium amplius decem

*Vera amicitia vis.*

*Humilitas.*

*Decem ho-  
minum mil-  
lia vno mē-  
se baptiza-*



*Baptismi  
ratio.*

hominum millia Christiana feci, qua in re hanc tenebam rationem. Ethnicorum pagos quo baptisni causi vocabar, vbi primū attigeram, viros, fœminas, puerosque vnum in locum cogi imperabam. Tum à primis Christianæ fidei elemētis exorsus docebam, vnum esse DEVM Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, & simul tribus personis, vnoque DEO inuocato, ter se quemque rite signare iubebam cruce: deinde linteatus generalis confessionis formulam, Symbolum Apostolorum, Decalogum, Pater noster, Ave Maria, & Salve Regina, ipsorum lingua (hasce enim preces ab hinc biennio cōuersas memorię commendaram) magna voce illi præibam, sic vt omnes, cuiusq; ordinis & ætatis præeuntem sequerentur. Symboli inde capita, & præcepta Decalogi patrio ipsorum sermone explicabam breuiter. Vbi satis ad Baptismum eruditi videbantur, præcipiebam eis, vt cuncti publice à DEO veniã peterent anteactæ vitæ, idque clara voce, ac præsentibus iis, qui abhorrebant à Christiana religione, ad improborum videlicet perditionem, & confirmationem honorum. Demirantur scilicet Ethnici diuinæ legis sanctitatem, seque tam diu sine veri DEI notitia viuere erubescunt. Christiana mysteria, atque instituta audiunt perlibenter: mihi que ipsi homini nequam magnum honorem



nozem habent. complures tamen obstinatis animis cognitam respuunt veritatem. Simulac peroravi, percontor sigillatim ab iis, qui baptismum expetunt, verum singulis fidei capitibus sine vlla dubitatione assentiuntur. Continuo illi brachiis in crucis figuram compositis, vna omnes voce clamitant, se verò penitus assentiri. Tum demum eos rite baptizo, ac suum cuique nomen trado scriptum in chartula. Illi sub baptismum, suam quisque domum digressi, suas coniuges ac familias ad me baptismi gratia adducunt. Baptizatis omnibus, cuncta Deorum *Idolorum e-* *versio.* fana disturbari, simulacra comminui statim impero. Nullis verbis assequi possem eam, quam ex eiusmodi spectaculo capio voluptatem: cum videam euerti, frangique idola ab iis, qui modo erant idololatræ. In oppidis, pagisque singulis Christianam institutionem ipsorum lingua conscriptam relinquo & simul præcipio quemadmodum ea sit tum antemeridianis tum pomeridianis scholis tradenda. Id ego vbi in vno aliquo pago perfecit ad alium demigro, ac deinceps in alios. Ita omnem regionem circumiens incolas ad Christi compello gregem, & quidem maiore cum gaudio quam vt per literas, aut coram explicare queam.

Manaria insula hinc abest millia passuum *Manaria* *insula.* circiter CL. eius incolæ certos ad me homines allegarunt rogatum, vt quoniam vellēt



*Martyres  
Iafanapa-  
tania.*

fieri Christiani, ad eos baptizandos profici-  
sci ne grauarer. Ego cum grauissimis nego-  
tiis, maximeque ad rem Christianam perti-  
nentibus destinerer, ire ipse non potui. Ita-  
que certum exorauī sacerdotem, ut iret meo  
loco quam primum ad illos baptismo ex-  
piandos. Iamq; is plurimos baptizarat, cum  
Rex Iafanapataniæ, in cuius ditione insula  
est, complures Neophytos, quod Christiani  
facti essent, crudelissimè necauit. Gratulan-  
dum est Christo Domino, qui ne nostra qui-  
dem tempestate finit desiderari martyres; &  
quoniam diuina benignitate, atque indul-  
gentia tam paucos uti videt ad salutem; pro  
sua singulari prouidentia permittit, ut per  
humanam crudelitatem, expleantur desti-  
natæ sedes, ac numerus beatorum. Scripsi ad  
vos antea, Prætor Indiæ quam amicus mihi  
sit, Societatiq; vniuersæ. Is miserabilem  
Neophytorum cædem vsque eo grauitè, at-  
que indigne tulit, ut simul atque super hac  
re agere cum eo cœpi, validam classem ad  
Tyranni illius perniciem adornari iusserit.  
Itaque necesse fuit iustam eius iram per me  
ipsum mitigari. Rex ille Christianorum in-  
terfector germanum habet verum Regni il-  
lius hæredem, sed fraternæ crudelitatis me-  
tu exulantem. Is si armis à Præto restitua-  
tur in Regnum, pollicetur se cum Regni  
principibus fore Christianum. Quocirca  
Prætor



Prætor mandauit Ducibus suis, vt ei, si Christiana sacra susceperit, Regnum restituant, Regem Neophytorum carnificem occidât, aut ad meum arbitrium tractent. Equidem non diffido fore, vt tum DEI clementia, tum eorum, quos martyrio affecit, deprecatione, scelus agnoscat, & cæcitatem suam: ætaque salutari pœnitentia, veniam aliquando impetret à Deo tam nefariæ crudelitatis.

Ceilanus insula est ab Indiæ continenti millia passuum circiter CXX. quò ego nuper Francisco Mansilla comite profectus sum. Hic Dynasta Regis filius, idemque Regni hæres statuerat fieri Christianus. Quod vbi Rex cognouit, hominem confestim interfici iussit. Narrant qui præsentibus cædi affuerunt, ab se in cælo igneam esse visam crucem: & vbi ille cæsus sit, in hiatu terræ figuram crucis animaduersam. Complures incolarum, qui illa portenta conspexerint, ad Christiana sacra spectare. Huius Dynastæ, quem dixi, frater iisdem permotus prodigiis sacerdotem quendam exorauit, vt se salutari ablueret aqua. Iamque ad Prætorem Indiæ confugit petitum auxilium contra Regem, qui germanum suum necauit. Cum hoc ego in itinere collocutus, ex eius sermone magnam concepi spem, breui Regnum illud Christi fidem secuturum. Nam & populus monstris illis, ac signis valde cõmotus est, & Regni hære-

*Ceilanus  
Insula.*



hæreditaseidem Dynastæ venit, qui nuper est Christianis sacris initiatus.

*Macazari-  
ense regnū.*

In regno Macazariensi (id abest à Trauã-  
coride leucas ferè quingentas) octo ab hinc  
mensibus, tres Dynastæ cum aliis plurimis  
ad Christum aggregarunt sese. Hi Malacam  
urbem Lusitanæ ditiois, certos homines  
miserunt, qui postularent idoneos viros, à  
quibus diuina lege imbuerentur. Confirma-  
runtque se, qui adhuc vixissent pecudum  
ritu, posthac DEI notitia cultuq; imbutos,  
hominum esse more victuros. Urbis Præfe-  
ctus sacerdotes aliquot ad eos misit, qui id  
muneris obirent. Vel hinc, fratres carissimi  
intelligere potestis, quantos hic syluestris  
ager, & quam vberes spondeat fructus. Equi-  
dem spero pro huius regionis præparatione,  
& quasi segete, me hoc anno ad centū Chri-  
stianorum millia esse facturum. *Rogate Domi-  
num messis, vt mittat operarios in vineam suam.* Si  
qui diuini cultus augendi, religioisq; pro-  
pagandæ studio, in hæc loca, vbi *campi iam  
sunt albi ad messem*, venerint, non humaniter  
modo accipientur à Lusitanis, sed etiam be-  
nigne; sic prorsus vt omnia eis necessaria ab-  
unde suppetant. Quippe Lusitana gens vs-  
que eo est auida Christianæ fidei amplifican-  
dæ, vt si nihil aliud, certe tam pium eorum  
studium, ac tam propensa erga nostram So-  
cietatem voluntas complures vestrum huc  
pertra-

*Lusitana  
gētis pietas.*